Wojtowicki Albertus: Illmo ac Rmo D. D. Andreae Szoldrski, Ep. Posn. felicissimum et auspicatissimum successum itineris in exteras nationes precatur.

D. O. M.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO,

D. ANDREÆ SZOŁDRSKI,

Dei Apostolicæq; Sedis Gratiâ

EPISCOPO POSNANIENSI,

REGNI SENATORI,

MAIORIS POLONIÆ LVMINI, &c. &c.

Suo ac Studiorum Mecænati colendissimo;

Felicissimum & auspicatissimum successum Itineris in exteras nationes precatur,

M. ALBERTVS WOYTOWICKI,
Senior Contub: Philos: Scholæ Poëtices Professor Nouodworscianus.

CRACOVIÆ, In Officina Francisci Cæsarij, 1640.

IN STEMMA.

A. Sz.



E. P.

S. R.

CViusnam Ratis hæc? Regni. Dic dirigit illam
Quis Remex? SZOŁDRSKI Gloria Pontificũ.
Ecclesiæ, Patriæquè Ratem cum Plebe fideli,
Ad Cælum Præsul dirige remigio.

ODE DICOLOS
TETRASTROPHOS.

INsulâ Sacrâ redimite Princeps,
Præsules inter venerande summos,
Patriæ Patrum Pater, & Senator
Inclyte Regni.

Parce quòd vates minor, apparatu
Non satis culto, Tibi prodijsse
Obuiam nitor, mihi plectra primùm
Aptat Apollo.

Et tubâ nondum didici sonorâ
Principes magnos, cecinisse terris,
Nuda qui pro tunc doceo Iuuentam
Nectere verba.

Audeo vates tamen ire tanto
Obuiam Patri, celeri volatu

Ex tuis vnus; latices Tibiq;
Fundere paruos.
Non secus Xerxi veluti colonus,
Nudior Codro, magè pauper Iro;
Ausus est olim fluuiale munus,
Porgere dextrâ.
Pastor indulge Tibi gratulanti,
Sperne nec primos Pater ô Pöetæ
Hosce conatus, Tibi quos laboro,
Dicere vates.
Prodeo lætus Tibi, prodit vnà
Et meus mecum Nouodworscianus
En Tibi prodit Chorus, & Patrono
Carmina fundit.
Prosper ô adsis veniasq; felix,
Patriæ magnus Pater, & Senator,
Aureumq; Regni iubar, & corusca
Ecclesiæ Fax.
Te salutamus Nouodworsciani
Turba Parnassi: Tibi læta plausu
Fundimus nostro noua metra Patri,
Atquè Parenti.

Dumq;

Dumquè Sol cælo nouus ire cursu
Aureo velox properat, rotisquè
Aureas luces vehit ecce secum
Aureus ipse.
Cælites omnes pariter precamur,
Vt Tuis votis facilem Tonantem
Supplices flectant; Tibi cuncta præstet
Author Olympi.
Ad Tuos nutus Tibi lenis Annus
Profluat cælo, placidos diesquè
Ducat, & lætas sine nube cunctas
Proferat horas.
Triste nil, mæstum nihil, & molestum
Accidat Præsul Tibi, supplicamus
Omnibus votis precibusquè, semper
Astra mouemus.
Vt fluant cælo Tibi cuncta, quæ vis
Pastor affatim bona; Corpus illa,
Fortè seû spectent animamquè: manent
Diuite cornu.
Sancta mens cæli liquefacta rore
Hauriat numen; queat vt beari

Dulciter terris, recrearierquè
Tempore quouis.
Corporis vires Tibi prorogentur
Axe vegeto: valeas vt æuum
Firmus in vitâ Tibi destinatâ
Viuere longum.
Nec trahant Parcæ Tibi fila vitæ,
Quæ feræ, duræ, nimiùm cruentæ,
Præsecant vitam citò; nec cuiquam
Parcere nôrunt.
Ipsa sed nectat Tibi Virgo vitam,
Sola quæ vitam peperit perennem,
Nesciam mortis, Tibi Diua vitæ
Tempora nectat.
Vt diu viuax renoueris annis,
In dies multos, Iouis vt volucris
Fortè vel Phœnix reparata seclis,
Prorogat æuum.
Nestorem vincas Pylium precamur,
Vince viuaces senio Sibyllas,
Lustra Ceruorum superato, seris
Grandior annis.

Sors

Sors Tibi quæuis famuletur vni
Nec labet curru; ratione summâ
Quam regis; Dominusmet ipse
Sortis iniquæ.
Fama Virtuti meritæ per orbem.
Augeat nomen Tibi. Te sequatur,
Maius inuitum decus; ambiatque
Gloria maior.
Atquè ne multis teneam, morerquè
Te profecturum: Latias in oras
Prosper & felix proficiscere eia
Sydere fausto.
Quò vocat Virtus, Pietas: trahuntquè
Te Tuæ curæ, proficiscere, eia
Prosperè, Cæli zephyro fauente, &
Alite dextro.
Saluus vt Romam venias rogamus,
Cælites: Cælo Iuuenem Tibiquè
Traditum vrgemus; Tibi Dux via sit
Præuius ille.
Rector & Custos: Tibi nulla monstra,
Nulla vis: casus noceatquè nullus.

Siue Te Tellus, Pelagus feratuè
Integer esto.
Hoc iter faustum dubiò proculquè
Auspices Musæ Tibi pollicemur,
Nam profecturo Tibi sunt futura
Sydera præstò.
Nauitis felix Cynosura semper,
Quam maris stellam meritò vocamus,
Præferet lucem Tibi Dux MARIA
Certa salutis.
Præferet lucem Tibi Diuus ille
Qui Tibi nomen dedit, & Patronum
Obtulit sese. Puero leuato
Flumine sacro.
Nobili Ionâ genitus, relicto
Spontè qui reti, Dominum secutus
Pro fide Christi meruit probrosâ
Arbore figi.
Præferet lucem Tibi penè certam
Matris excellens Academiæ Lux
CANTIVS Diuus: cui reddidisti
Tu Tua vota.

Vtq;

Vtquè tam magni Famuli Tonantis
Res agas, coram Latio Senatu:
Ipsius clamant benefacta; clamat
Vita stupenda.
Vrget hoc ipsum Alma Academia vrget,
Omnis Vrbs Craci, populus frequensq;:
Vrget immensis meritis onustus
Totus & orbis.
Eia age ô Præsul, properato cursu,
I pete; I Romam; ocyùs, ocyùs fer
Nuntium, testare quod iste noster
Sarmata Diuus:
In dies patrat noua mira terris,
Quæ Deo soli proprium est patrare:
Altiùs famâ magis in diesquè
Sydera scandit.
Vade, dic Patri, & refer hæc Beato,
Cuncta quæ cernis. Properet Coronam
CANTIO nostro, ocyùs atquè Diuûm
Inserat Albo.
Crede non frustrà perages? ages dum
CANTII causam. feret ille cælo

Dexte-

D[e]xteram præsens Tibi: & impetrabis
Omnia quæ vis.
Sic faue Præsul bone sanctitati,
CANTII nostri, meritis faueque,
Sanctitas vitæ meruit Coronam
Ferre Ioannis.
Si facis quod Te petimus libenter?
Præmium Cælo Tibi sempiternum,
Iam ratum Cælo est, bone perge Præsul
Visere Romam.
Saluus, & saluus redeas precamur,
Ter quater cœtus tuus hoc precamur,
Prosper i Romam, redeasque Româ
Prosper & Auspex.
Remiges Vestræ Ratis Angelorum,
Dexteræ sunto. Deus ipse Ductor,
Patriæ ad portum incolumem reducat
Te bone Præsul.
Vt redux, Regno, Ecclesiæque præsis
Commodo magno, meritisque summis,
In dies multos agili senectâ
Floridus annis.

Nec nisi multis meritis Olympum,
Lustra post centum, altera tertia atquè
Serus intrato, Patriæ Parens, &
Stellifer Atlas.

Si habitauerit aduena inter vos, diligetis eum quasi vosmetipsos. *Leuit: 9.*

Occasione lædito nullâ hospitem.

Omnia ad gloriam DEI OPTIMI MAXIMI, Sacratissimæ VIRGINIS, & vniuersæ Curiæ Cælestis honorem, quantumlibet exigua sint, cedant.